Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1265

Quelle:
Copyright:

VIII. *fol.* 41. p. 2. Excerpta e IV. *Libris Sententiar. Thomae Aquinatis*, hoc initio: *De ſacramentis breuiter aliquid ab opere fratris thome excerpturi* &c. Poſt Sacramenta etiam reliqua Dogmata pervadit Excerptor.

IX. *fol.* 82. *Incipit opuſculum de anima extractum de opere fratris alberti lectoris per fratrem Martinum brandeburgenſem breuiter ad aliquam noticiam compilatum.* Albertus is lector *Albertus Magnus* eſt O. P. deinceps Epiſcopus *Ratisponenſis*, ad quam Sedem cum a. 1260. pervenerit, liquet ἐπιτομὴν noſtram ante hunc annum ſcriptam fuiſſe. Noli vero eam e *Commentariis Alberti in Ariſtotelem de Anima* natam putare. *Summae Albertinae de Creaturis Partem* II. quae eſt de Homine, legiturque nunc *Opp. omn.* edit. *Lugd.* 1651. T. XIX. f. repraeſentat, additis ſub finem Quaeſitis variis de *Reſurrectione* et altera vita. Excerptorem noſtrum apud *Quetif.* et *Echard.* non reperio.

Thecae *Codicis* utrique Varia ad Rationem ordinandorum Temporum pertinentia interius adſcripta ſunt.

CCCXXIX.

2135 Codex chartaceus, admixtis quibusdam foliis membraneis, lat. Sec. XV. Folior. 304. f. partim per columnas, partim lineis longis ſcriptus complectitur ſequentia: I. *Henrici de Haſſia Tractatum phyſicum*, qui inſcribitur: *De habitudine cauſſarum et influxu nature communis reſpectu inferiorum*, ut patet ex *nota* ad calcem, in qua Autor *ſubtilis ſpeculator* adpellatur. Initium eſt: *Quia libenter ſcire vellem modum naturalis adminiſtrationis et regiminis naturaliter agentium mundi inferioris a ſuperiori celeſtium ſubceleſtiumque cauſarum ac vtrorumque inter ſe concathenacionem et dependenciam quam cathenam auream vocant* &c. Experimentis maxime hydraulicis principia aevi ſui conſtabilire nititur, ſeque non minorem, ut tunc erant, Philoſophum probat, quam Theologum novimus. Tractatus hujus meminit e *Cod. Mellicenſi* ſolertiſſimus *Pezius Diſſert. iſag. in T. I. Theſ. Anecd.* p. 78.

II. *fol.* 9. p. 2. ſequitur *Tractatus Theologicus de Communicatione Idiomatum* in divinis, cujus initium eſt: *De communicacione ydiomatum. c. 4° quedam alias dixi que nunc deo fauente propono diffuſius et ordinacius pertractare ſuppoſitis proteſtationibus conſuetis fieri paryſius in talibus et alias per me factis* &c. Series dein tractandorum exhibetur. Quanquam porro Scriptum iſtud inter opera *Henrici de Haſſia* enumerari non videam, facile tamen ad id ei tribuendum moveor ex eo, quod, ut vidimus, ad morem *Pariſinum* provocat autor, quo in emporio literarum *Henricum* claruiſſe notum eſt, dum anno 1379. ab *Alberto* Duce ad plantandum *Viennenſe* gymnaſium accerſeretur. *Joh.* tamen *Launojus* inter